

~~G. 1124~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

V-37

SIGNAT. MDCCCXIII.

22

I. N. J. C.

DISPUTATIO METAPHYSICA

De

OBJECTO
METAPHYSICÆ

Quam

PRÆSES

M. CHRISTIANUS WOLFIUS

Pirnensis.

&

RESPONDENS


GEORGIUS LUTSCH

Cibinio Transylvanus.

Die XXII. Februar. Hor. matutinis.

In Auditorio minori.

Placidæ eruditorum exponunt ventilationi.



WITTEBERGÆ,

Literis MATTHÆI HENCKELII
ANNO M.DC. LXV.

h. III. 2310



J. M. J. C.
DISPUTATIO METAPHYSICA
De
O B I E C T O
M E T A P H Y S I C A

Summa
P R E S S
M. CHRISTIANUS WOLFFIUS
Præfatus
G
R E S O L U T I O N E S
G E O R G I U S L U T T I C H
Cubano Philosophus

D. KILIANUS DE WOLFFIUS
L. L. M. P. P. P.
L. L. M. P. P. P.
L. L. M. P. P. P.
L. L. M. P. P. P.
L. L. M. P. P. P.
L. L. M. P. P. P.
L. L. M. P. P. P.
L. L. M. P. P. P.
L. L. M. P. P. P.
L. L. M. P. P. P.





בשם משלוש הקדש

Præfamen.

Sicut terminos proferre sui legitimè imperii, iisdemque præesse quam dexterrimè, laudi non minori ducitur Regi, quam commodo: Ita culpa non vacat tyrannus meritò, qui parum curans, quo jure quave injuria affectet aliena, inique suis non tantum studet rebus, sed &, quod vitium est deterrimum, quæ nactus est semel, administrat pessimè. Parta enim justè, ut augeas amplius & tuearis gnaviter, penes tuum quidem situm est arbitrium: Ne autem æqui transilias vacerras, & malis deditus artibus, vetitis inhies, quibus tuarum capias facultatum incrementa, prudentissimo sanè opus est moderamine. Quod verò his summis orbis terrarum convenit dynastis, qui universi tenent mundi gubernacula, remque ritè dispensant publicam, illud non nisi summa poterit injuria disciplinarum Regina omnium Philosophicarum, puta Metaphysicæ derogari unquam. Non enim nullam habent nobilissimæ artium liberalium scientiæ cum naturæ hujus aspectabilis præsidibus convenientiam, ut potius cum iis quam amicissimè conspirare ferè videantur. Documenti quod si res egeat diductioris, testari liquidò hoc potest Metaphysica. Quem enim nisi hospitem latere potest amplissimum juxta atque universum in omnes disciplinas Philosopho-

Iosophicas regimen? Dum verò toti scientiarum præsi-
 det coronæ, eamque dirigendo, leges sanciendo, enataq;
 componendo litigia moderatur graviter, nec sui imme-
 mor muneris quicquam habet antiquius, quam sese ab iis,
 quæ disciplinæ possident sibi subordinatæ & subditæ,
 temperare penitus, propriaque tueri solertissimè. Velut
 autem totum Philosophicarum disciplinarum chorum
 fastigio supergreditur, cunctisque enitet: Ita legibus
 exempta omnibus quasi & soluta, quibus cæteras coercet
 artes, sola sibi proprium definire solet quasi territorium
 & præscribere objectum, ens quatenus ens est, circa quod
 maximè occupata, suas unicè exequitur partes. Hujus
 verò objecti impræsentiarum indagaturi naturam, cun-
 cta ut ritè peragantur, votis exposcimus anhelis Triu-
 num rerum omnium Arbitrum, ne nobis adesse cœptis-
 que præstare, dedignari velit.

§. 1.

Accingimur itaque bono cum DEO ad quorundam termino-
 norum distinctionumque evolutionem, entis scilicet & vo-
 culæ quatenus, quorum vocabulorum notitia imbuti ad consti-
 tutionem objecti nostri evademus aptiores. Cum verò vel pue-
 ris notissima sit entis originatio, quæ debetur verbo substantivo
 sum, de industria ulteriori superfedemus disquisitione.

§. 2. Hinc est pergendum ad Synonymiam, in qua varie-
 tatem non minimam deprehendere licet. Dispersi autem com-
 modè possunt entis Synonyma cum in latina, quæ iterum vel
 sunt absoluta, qualia sunt res & aliquid, vel respectiva, videlicet
 existentia &c. tum græcum ὄν, quod latinorum enti æquipollere
 fertur.

§. 3. Synonymiam excipit entis Homonymia, ubi cū spaciosissi-
 mus excurrédi campus se aperit, multa cōtrahemus in pauca, ita ta-
 mē, ne quod designationi nostri objecti inservire potest, silētio præ-
 terea-

tereamus. Discriminatur autem ens 1. in ens actu, quod actum essendi obtinet in se & verè persistit in rerum natura; Et ens in potentia, cui cum esse non habet, esse tamen non repugnat. Non autem perinde est ens in potentia & ipsam potentiam promiscuè apprehendere; Prius enim casum connotans obliquum, est non ens, posterius verò, recto expressum, reale ens censetur. 2. Ens vel est reale vel rationis, hujus esse objectivum cum figmento retrocurrit, idemque vel absolutè vel consequenter tantum fingitur, illud autem cessante omni rationis operatione revera existit.

§. 4. Ens est vel complexum vel in complexum, utrumque communiter statuitur duplex, quorum alterum appellatur incomplexum termini & respicit primam mentis operationem, vel complexum termini & amat secundam mentis operationem, hinc non ineptè nuncupatur logicum. Alterum porrò in duo dispescitur membra, quorum prius est incomplexum rei, rem unam tantum denotans, posterius est complexum rei, ubi uno plura connotantur entia. Horum posteriorum Capita adscribunt vulgò Physicæ & Metaphysicæ. 4. Distinguendum inter ens positivum, quod essentiam habet positivam, & negativum, quod essentiam negat. 5. Tandem aliud est ens per se, & ens per accidens, quæ entia pro acceptionis & oppositionis varietate varias atque diversas sortiuntur descriptiones.

§ 5. Hactenus recensita & prænotata ad quid nobis conducant, inferior edocebit tractatio, ad quam priusquam transitum paramus, enucleationi quatenus operabimur paucis. Importat autem ea vocula juxta receptissimam philosophorum mentem, sensum geminum. Quandoque enim sumitur reduplicativè & manifestat causam ob quam prædicatum suo inest subjecto, & declaratur non infrequenter per quia: Nonnunquam verò usurpatur specificativè & denotat conditionem sub qua certum subjectum ad certum considerandi modum restringitur & determinatur. Cum igitur neutra significatio recensitarum nostro refragetur objecto, sed potius per-

A 3

quam

quam concinnè consonet, utramque amplecti non veremur, hac tamen cum apposita differentia, ut reduplicativa acceptio objectum signet remotè, specificativa verò proximè & potissimum exprimat formale.

§. 6. His ita prælibatis, & rationibus non Spernendis & multi nominis Viris freti, quos hic habemus authores, non diffitemur, objectum Metaphysicæ esse ens actuale, reale, positivum, incomplexum & per se, quatenus ens est, quæq; ad id per se revocari solent vel insunt. Sufficientissimam horum terminorum explanationem paulo ante datam, nunc repetere nec vacat nec juvat, ne crambem bis coctam v. leamur apponere. Non autem indignum observatu est, objectum, quod alii subjectum vocitant, aliud esse genericum seu considerationis, aliud verò proprium seu contemplationis, vulgò demonstrationis dictum, quo ens quatenus tale à particulari quidditate præscindit & in esse ideali objectivo, objectivum menti representat conceptum unum.

§. 7. Hujus autem scilicet proprii seu Specialis materiale sive notionem communem notatam volumus per terminos entis actualis, realis &c. Non autem censendum nomina tam multa alia atque alia denotare entia, cum potius ea conjunctim sumpta nostrum objectum exprimant, omnique ab æquivocatione præstent immune. Notionem propriam seu formale indigitant verba, quatenus ens est. Itaque parum sumus solliciti de objecto inadæquato & primo, quale primitate perfectionis statuminantur Deus & Angeli, aut primitate attributionis, ut sunt substantiæ, sed primitate adæquationis, quod esse dicimus ens quatenus ens est. Et quamvis more hæctenus tradito, privationes, entia per accidens & cætera hujus commatis è Metaphysica non fuerint exclusa, sed potius unanimi consensu approbata & admissa, nolumus tamen à quopiam exinde inferri, eorundem entium tractationem esse directam, cum quo minus per accidens & indirectè proponantur, nihil vetet, ut ita ex præsentissima oppositionis facie major contrariorum elucescat claritas & veritas. Plurimæ enim harum rerum species re-
qui-

quisita objecti specifici, sustinere non valent, maximamque partem aut entium pluralitatem dicunt, aut non ens & æquivocum involuunt.

§. 8. De nostro verò objecto quin quæque objectum constituentia aut requisita verificari possint, nulli dubitamus. Non ultimum aliàs memoratur disciplinæ mensura, qua objectum suam adæquare scientiam & omnium ad eam ipsam referendorum capax esse debet. Quis autem ens quatenus ens ad ea sustinenda par & aptum inficiabitur? Sic nemini ex oppositionis natura obscurum esse potest, quod sicuti scientiæ speciales objecta sibi substernunt specialia, ita & disciplina generalis seu univetsalis objectum amet universale, quale ens vel meritò audit, cum nihil reperiri possit, quod non entis ceu primi cogniti titulo insigniri queat.

§. 9. Ne autem dicta hæctenus suo careant fundamento, supponimus sententiam nunquam non receptissimam, quod scilicet entis notio potissimum apta sit nata satisfacere cognitioni mentis nostræ; sive etenim quis cancellos accidentium ingradatur quorumcunque, sive substantiarum contempletur classem, & ab imis etiam individuis sciscitando pergat, usque ad summa rerum deveniat capita, puta substantiam & accidens, dubio tamen vacat omni, quin quærendo instar possit amplius, quid est substantia? quid est accidens? Quibus quæritis quando responsione entis seu est ens, satisfactum est, mens nostra exsaturata quasi sponte acquiescit. Hic itaque conceptus cum sit universalissimus, ab inferioribus præcisus & menti repræsentatus, quin jure merito pro objecto universalissimæ omnium scientiarum Philosophicarum disciplinæ puta Metaphysicæ venditari queat, quis est quam anceps creperaque sententia habere possit amplius?

§. 10. Constituto igitur Metaphysicæ objecto, reliquum nihil est, quã ut circûspiciamus ejusdem distinctionem, perquã à cæteris scientiis specificè discernatur. Siquis autem ambigat, an ratio formalis proba & satis congrua sit à nobis in medium producta, eidem autoritatis nubem offundere non laborabimus, quod si vel maximè faceremus, vitio tamen verti à nullo æquo

æquo rerum æstimatore facile posset; sed hoc tantum svade-
mus, ut probè nobiscum pensiculet, an non per hoc formale ob-
jectum Methaphysicum in suo esse constituatur rectè & à cæte-
ris omnibus discriminetur. Secus si rem sese habere quispiam
animadvertat, suum ut nobis addat sententiæ calculum, non
desideramus. Tutissimum autem foret omnium, singularum di-
sciplinarum repetere capita & formales rationes, quas inter nisi
occurreret & nostra, quid quæso certius, quam ut consideratio
entis prout ens est pro distincta & peculiari ratione formali a-
gnoscat & censeatur? Nisi quis Ramistarum studere partibus,
& non tolerandam logicæ & Metaphysicæ misturam introdu-
cere potius, quam distinctam tractationem amplecti mavelit.
Quamquam quidem nemo facile ibit inficias, Logicam pariter
atque Metaphysicam subjecti loco sibi ens substernere, adeoq;
communem utrobique participari notionem: Ferendum tamen
non est, easdem disciplinas eadem quoque gaudere notione
propria, cum hoc modo tetra scientiæ realis cum notionali
& instrumentali inveheretur confusio. Habeat igitur Logica sibi
ens, sed quatenus eidem imponit notiones secundas, & retineat
Metaphysica suum objectum puta ens, quatenus ens est. Physi-
cam ut penetremus, nulla urget necessitas, specialis est disci-
plina, ideoque speciale ut contempletur subjectum convenit,
cum scibile & scientia æque latè patere & retrò comeari de-
beant.

§. II. De cæteris scientiarum objectis ut laboremus
multis, supervacaneum est, quum omni ex parte sit in confesso,
cæteras disciplinas, quocunqve veniant nomine, potius aliquid
entis seu particularem quidditatem sibi loco subjecti assigna-
tam habere, quam conceptum entis universalem. Propterea do-
cumento potest esse evidentissimo, quod cum res considerata
hoc loco inveniatur modusque considerandi peculiaris, soli
Metaphysicæ ambo paulo ante notata sint assignanda. Aut
enim illud Formale & Materiale nullam propriam considera-
tionis agnoscat sedem & disciplinam, aut Metaphysicæ adscri-
bendum erit, tertium quod duo hæc inter mediet, est nullum,
quod ex sufficienti disciplinarum liquet inductione. Prius si
assu-

assumas argumenti membrum, sat grave impinges absurdum. Quid enim notius aut manifestius est, quàm quod scientia & scibile sint relata. Posito itaque certo scibili, quod in nulla disciplina alia consideratur instar principii constituentis, affectionis denominantis vel modi contrahentis, distincta & certa quoque concedenda est disciplina. Si posterius seqvaris, in nostra transibis castra.

*Consulatur
Magnif. atq;
Excell. Dn. D.
Calov. p. 18. &
19. Gnostologia*

§. 12. Ad hætenus verò objectum propugnatum reducendæ sunt & pertinent quoque affectiones tam unitæ quàm disjunctæ, tandemque modi entis specifici, & si quæ sunt alia, in parte Metaphysicæ speciali exponenda. Et si cuiquam suboriatur dubium, quo pacto una eademque disciplina universalis ad specialem restringi possit partem, eundem edocemus paucis, nos minimè hac ratione in nosmetipsos incurrere, cum Metaphysica sit maneatque disciplina universalis, quatenus aliis scientiis præsidet aut cum iis confertur, specialio rem autem admittit partem, quatenus partiales considerandi objectum modi inter se comparantur. Hic autem denuò omnifaria prædit sententiarum discrepantia, quidnam de specificis entis modis habendum. Nos non veremur hoc in passu Excellentiss. Dn. D. Calovii legere vestigia, exerte asserentis, necessum omninò esse, ut ii modi in Metaphysica seu Ontologia proponantur, cum ad aliam disciplinam, quæcunque ea sit, directè non pertineant, ac præterea sub objecto primæ Philosophiæ comprehendantur & determinationis aliorum objectorum causa cognoscenda veniant, unde triplicem hujus tractationis elicit necessitatem, videlicet necessitatem cognitionis, necessitatem objecti hujus conditionis, & necessitatem officii hujus disciplinæ. Si itaque dicendum quod res est, partialis hic considerandi modus, qui naturam subsistentiæ & inhærentiæ, utpote specialium essendi rationum considerandam & declarandam sibi appropriat, generali entis tractationi in objecti designatione non est opponendus sed potius jungendus,

*Part. speciali
Metaph. divin.
p. 3.*

B

ut



ut ita objectum nascatur disciplinae adaequatum, mutilumque nec evadat.

*Paulus Voetig
in Philos. re-
form. c. 24. sect.
1. p. 529. & seq.*

§. 18. Et si fortean specialior entis consideratio generalitati objecti Metaphysicæ adhuc derogare videatur, adeoque nobis eam ob causam dicam scribere vellet quispiam, illum perpendere jubemus nobiscum ea, quæ nostro negotio maxime proficua protulit in medium Paulus Voetius: Neque, in-
quiens, obstare poterit, quod hac ratione videatur Metaphysi-
ca quippiam contra sui objecti generalitatem committere: cum pro objecto habeat ens quæ tale. Nam respondeo 1. scientiæ cujusque non esse, ut aget tantum de objecto quæ tali: sed & de iis, quæ objecto per se insunt. Et illud per se in scientia aliqua consideratur, quod ad objectum refertur, vel ut pars vel ut affectio vel ut principium. Licet igitur substantia & accidens non sint ens, quæ tale; quia tamen sunt entis partes subje-
ctivæ, de iis per se agit Metaphysica. Respondeo 2. Quod si adversarii hanc suam objectionem stare velint; jam etiam è Metaphysica eliminanda erunt principia, quia non sunt ens quatenus tale; Etiam exterminandæ omnes entis affectiones; quia cum sint affectiones entis, ens quæ tale dici non poterunt. Quod ergò dubium ut non est admittendum à parte principiorum & affectionum, ita etiam à parte quasi specierum entis non erit alicujus momenti.

§. 14. Tandem transitus esset parandus ad indaginem & examen spuriorum objectorum, quæ hinc inde pro objecto genuino obtruduntur. Sed cum nostro quidem iudicio, satis accuratam & nervosam in hoc negotio præstiterit diligentiam supra citatus Paulus Voetius c. 2. Philos. reform. pag. 29. & seq. ubi Syllogem heterodoxarum sententiarum adeo exhibet completam, ut lectorem sedulo attentum num quicquam fugere possit amplius, præsentem circa materiam, maximum sit dubium. Huic compendii loco conjungere possumus Argo-
goldum Verhelium, in speculo entis in se primæ Philosophiæ.
Disput.

Disput. I. Ne igitur de charta in chartam, cujus copia tanta sententiarum examinandarum varietati hac vice par ne quidem esset, transfuisse videamur, remittimus sciendi cupidum ad autores modò nominatos, ubi & in defectu & in excessu peccantium satis numerosam deprehendet turbam. Nos κατ' ἄρσιν interim processuri ex Voetii loco citato aliisque authoribus, quorum copia nobis fieri hac vice potuit, nudas tantum adversæ partis sententias apponendo dicimus.

§. 15. *Omne intelligibile, quod sub se comprehendit tam entia rationis, quam realia, tam per accidens, quam per se, atque adeò omnia non entia; aut quatenus conceptum enti & non enti communem dicere debet, non est objectum Metaphysicæ genuinum.*

§. 15. *Neque ens universalissime seu latissime acceptum, in quantum abstrahit ab ente reali & rationis.*

§. 16. *Neque ens universaliter sumtum, prout complectitur tam ens per accidens, quam ens per se.*

§. 17. *Neque ens ut sic & ens ut spirituale simul.*

§. 18. *Neq*

§. 18. Neque omnium specierum entis quidditates in particulari.

§. 19. Neque DEUS.

§. 20. Neque substantia separata.

§. 21. Neque ens prædicamentale.

§. 22. Neque DEUS & anima rationalis simul.

§. 23. Neque substantia ut sic.

§. 24. Neque substantia immaterialis.

§. 25. Neque ens finitum tantum, sed uti supra. §. 6. dictum est, ens quatenus ens est. Ubi & nos finimus, manum subducentes de tabula & dicimus

SOLI DEO GLORIAM.



Ung. VI 37


ULB Halle
003 913 872 3



Sl.

U 3 17





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

22

PHYSICA

CTO

SICÆ

WOLFIUS

IS

UTSCH

anus.

r. matutinis.

ri.

at ventilationi.

•••••

NCKELII

V.

2310

